



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. De jurisdictione, & potestate Capituli Ecclesiæ non CATHEDRALIS, seu Colegiatæ, sive secularis, sive regularis, Prælaturâ vacante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

liberam collationem Episcopi pertineant, cum admissio talium resignationum sit gratia, in illis autem, quae gratia sunt, non succedit Capitulum.

## §. IV.

*De jurisdictione, & potestate Capituli Ecclesiae non Cathedralis, seu Collegiatae, siue secularis siue regularis, Praelaturae vacante.*

**S**I omnimoda talis Ecclesia exempta sit, ita ut in capellas etiam subjectas plenam jurisdictionem quasi Episcopalem Praelatus habeat, omnem jurisdictionem & administrationem habet Capitulum Ecclesiae illius Collegiatae, vacante Praelaturae, sicuti vacante sede, habet Capitulum Cathedralis; quod si verò Ecclesia talis Collegiata exempta non sit, Praepositus tamen vel Decanus illius Ecclesiae jurisdictionem dignitati suae annexam in

Clericos sibi subiectos privativè, excludit scilicet Episcopo, obtineat in prima saltem instantia (per Privilegium scilicet aut consuetudinem legitimè praescriptam) tum spectato jure communi non transit in Capitulum illius Ecclesiae, vacante Praelaturae jurisdictione, sed ad Episcopum devolvitur. *c. his qua h. t.* (Cum non debeat induci devolutio ad Capitulum, nisi in jure exprimitur, jus autem, quando devolutionem talem ad Capitulum concedit, de Ecclesiis Cathedralibus vel quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus, id est, de exemptis loquatur) nisi jus speciale aut consuetudo legitima aliud requirit, & hinc in Monasteriis etiam talibus non exemptis de jure communi ab Episcopo, mortuo Praelato, in cujus Diocesi existit Administrator constituendus est, secularis tamen iterum legitimè consuetudine aut jure speciali.

## TITVLVS XXXIII.

## DE TREUGA ET PACE.

**T**reuga à Glossa in *c. 1. h. t.* definitur, quoddam sit securitas personis & rebus praestanda ad tempus, discordia nondum finita; siue si magis propriè de ea loqui velimus, aliud non est, quam induciae belli ad breve tempus inter hostes initae, ne se invicem laedant, ita ut Treuga à pace differat, in quantum Treuga est securitas personis & rebus ad tempus constituta, nondum sublatà penitus discordia, pax verò sit finis discordiae, seu belli, Duplex autem treuga est conventionalis alia, quae

ab hominibus inter se discordibus constituitur, & ex conventionione formam & modum recipit; alia Canonica seu legalis, quae à jure constituitur, de qua fit mentio, in *c. 1. & 2. h. t.* ita ut vi Capituli primi treuga absolutè servanda jubeatur à quarta feria post occasum Solis usque ad secundam feriam ante ortum solis, & Adventus tempore usque ad Octavam Epiphaniae, Quadragesimae verò tempore à septuagesima usque ad octavam Paschae (haec tamen constitutio de Treuga taliter in